



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

In Cap. Cum venissent 2. c. Auditis 3. & c. Tum ex literis 5.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

ficut Ecclesia vel quis alius, qui restituitur, in damno morari non debent, ita neque in lucro; atque idcirco quidquid ad eam pervenit, hoc debere alteri refundere. Confirmat text. in l. un. C. de reputatione. Quapropter iniquum esset, restitutionem in integrum, quæ ex æquitate descendit, l. D. h. tit. hoc operari, ut restitutus locupletaretur cum alterius injuria, adversus jus naturale, l. Nam hoc natura 4 d. de condic. indeb. Et Locupletari de R. 1. in 6. Et hinc singulariter tradit Innoc. quod non teneatur is, qui cum Ecclesia contraxit, reddere rem, nisi ei prius satisfiat de

pretio, sumptibus & labore, ut Innocentii mentem interpretatur & probat Panorm. hic: ut possit uti retentione rei pro pretio, sumptibus & labore. Facit text. in l. In fundo 38. in l. Sumptus 48 d. de rei vind. junctâ l. Julianus 13 § offerri d. De act. empti & vend. Quod & probat Bartoli de Strina assententis, retentionem rei à jure concedi, ubi ejusdem rei nomine facta sunt expensæ, aut à alieno contractum est, in l. Si non forem 26 § si certum d. de condic. indeb. Cætera de impensis vide pulchrè apud Panorm. hic n. 4.

In Cap. Cum venissent 2. c. Auditis 3. & c. Tum ex literis 5.

SUMMARI A.

1. Ecclesia restituitur etiam quoad actus judiciales.
2. Ecclesia adversus aliam Ecclesiam quomodo restituitur.

**C**AP. primo actum est, quomodo Ecclesia in contractibus in integrum restituitur, idque eâ ratione, quod Ecclesia jure minoris utatur; quâ eadem ratione motus S. Pont. eamdem restitutionem transfert quoque ad actus judiciales; ut si Prælati Ecclesiarum vel Monasteriorum, sive eorum procuratores, negligenter quid omiserint in judicio, quod ad causæ suæ propugnationem vel defensionem pertinet, petere possint restitutionem in integrum, sive id durante judicio factum sit, sive latâ sententiâ definitivâ. Item sive factum sit contra privatum, sive contra aliam Ecclesiam, per hos text. præcipuè in c. 3. & 5. item in c. 1. & 2. eod. tit. in 6. At certi juris est, minorem xxv. annis, licet etiam auctore tutore vel curatore in judicio egerit, vel se defenderit, & lationem passus sit, restitui in integrum oportere, l. Aut prætor 7. §. sed & in judicis d. De minorib. Et tit. C. Si adversus rem judicatam. Item & si Ecclesia condemnata non appellavit, restitutionem petere poterit, ut elapsum tempus appellationis ipsi restituatur, c. un. h. tit. in Clem. & textus in c. 5. h. tit. quia idem competit minoribus, l. Et si 8. al. l. Aut prætor 7. §. pen. d. De minorib.

Ex quo notandum est, quod omnia jura loquentia de minoribus in materia restitutionis in integrum trahi debeant ad Ecclesiam: quod memoræ insigendum moerit Panorm. hic in c. 3. num. 13. intelligendo per Ecclesiam etiam Monasterium, ut hic in d. c. 2. & c. 3.

Sed quæstionis est, quomodo Ecclesia adversus aliam Ecclesiam in integrum restituitur; cum privilegiatus non possit uti privilegio suo contra eum, qui eodem privilegio munitus est, ut tradunt Dd. nostri, per text. in §. sed & hoc præfenti Nov. 123. De sanctiss. Episcopis, & in Auth. Nisi rogati C. Ad S. C. Trebell. que desumpta est ex d. Nov. Utrobique dicitur, quod si hæres, aut alius quipiam fideicommissio gravatus sit, ut, si nuptias non contraxerit, aut liberos non habuerit, alteri, puta Titio, restituat hæreditatem, vel legatum, vel aliud quid, evanescere fideicommissi conditionem, si hæres vel donatarius Monasterium ingressus fuerit, aut clericalem habitum adsumerit, quasi Monasterium sive status Ecclesiasticus vice liberorum sint. At si non Titio aut alteri privato fideicommissum relictum sit, sed in redemptionem captivorum, sive alimentionem pauperum, substitutio facta fuerit, hac specie voluit prædicti textus, in d. §. sed & hoc & in d. Auth. Nisi rogati, locum esse fideicommissio, etiam si hæres vel alius quis fideicommissio oneratus Monasterium ingressus sit, tamquam una pia causa alteram impediatur, hoc est, privilegium concessum Monasterio, ut causâ liberorum habeatur, non excludatur aliam piam causam, cum & hæc loco liberorum habeatur. Sed facilis responsio est, quia in iisdem textibus una causa pia aliam excludit; non ideo, quod eodem privilegio fruatur, sed quod una pia causa ex præsumpta voluntate testatoris proficiscatur, altera ex expressa. Quod hæc fideicommissi sive donationis conditio, si hæres vel donatarius liberos non susceperit, vel nuptias non contraxerit, deficiat per ingressum Religionis, hoc accidit ob præsumptam



tam testatoris sive donatoris voluntatem, eo quod præsumatur testator vel donator prætulisse Titio tamquam homini privato, Monasterium vel statum Ecclesiasticum, quem fortè hæres vel donatarius potuisset eligeret & ingredi. At ubi non Titius, sed Monasterium sive alia pia causa expressè substituta est, hoc casu cessat præsumpra illa voluntas & cedit alteri expressè. Ita Covarruv. in c. Mala fidei p. 2. §. 2. num. 4. Unde planè erroneum esse suspicor, quòd Dd. ex d. §. sed & hoc præsentis, & ex d. Auth.

Nisi rogati, vulgò jactitant, privilegiatum non posse uti privilegio contra similiter privilegiatum, cum contrarium potius proberetur ex l. Verum 11 §. fin. d. de minorib. Deinde ubi minor contra minorem vel Ecclesia contra Ecclesiam in integrum restituitur, tantummodò is vel ea restituitur, qui læsus, læsive est, non autem qui læsus non est, etiamsi in potentia habebat idem privilegium, quando lædebat, & sic nullus actu est privilegiorum concursus. Vide quæ latè disputant Dd. in c. In præsentia inf. de probat.

## In Cap. Suscitata 6.

## SUMMARI A.

1. Facti species.
2. Restitutio in integrum adversus sententiam Pont. aut. Principis peti potest.
3. Sententia hodie in personam domini, non procuratoris, concipitur.
4. In integrum restitutio an & quando per procuratorem rectè petatur.
5. Restitutio in integrum an cum alia actione concurrere possit.
6. Restitutio est inutilis, ubi sententia ipso jure nulla.
7. Pendente judicio restitutionis in integrum regulariter impeditur sententia executio.

**H**le textus quædam singularia continet, ideoque facti species præmittenda est. Inter Episcopum Burgensem & Monasterium Oviensè sententia definitiva lata fuit à S. Pont. ac deinde petita à procuratore ejusdem Monasterii restitutio in integrum adversus sententiam, propter omisam exceptionem præscriptionis, quâ docere vult res illas, de quibus disceptabatur, præscriptione sublatas esse. Hanc itaque restitutionem concedit hic Pont. adversus sententiam à se latam: adjectâ tamen hac clausulâ, ut quia præsumptio est contra procuratorem, quòd ex malitia, ad impediendam scilicet executionem sententiæ, petat Monasterium restitui, sententia prius executioni mandetur, deinde idonea cautio præsteretur ab Episcopo, pro quo sententia lata fuit, ut, si Monasterium jam in integrum restitutum victoriam in causa reportaverit, omnia, quæ medio tempore à sententia lata Episcopus percepit, ipsi Monasterio restituantur.

- 2 Hic primò nota, quòd, licet sententia S. Pontificis vim legis habeat, §. Sed & quòd Principi Insit. de jure nativ. nihilominus contra eam peti potest

restitutio in integrum, per text. in c. Tum ex literis §. h. 1. & l. Minori 19 §. 1. d. De minorib. quia id æquitate suadente permittit Princeps, ubi scilicet ipsi subreptum, vel novæ defensiones allegantur, d. §. 1. & d. c. Tum ex literis

Alteram est, quòd sententia contra dominum principalem lata, procuratore agente in judicio, valeat hoc jure Canonico, Glos. hic in V. Monasterium, & nosant idem Panor. & Imola. Secus est de jure civili, quo non nisi in procuratorem sententia ferri debet, l. 1. C. De sent. & interloc. om. jud. eo quòd procurator per contestationem litis factus sit dominus litis, l. Nulla 23 C. De procurat. & c. 1. §. 1. de procurat. in 6. Verum cum hæc juris civilis meta sit subtilitas, recessum ab ea est per jus Canonicum; quòd & in Camera Imperiali servari testatur And. Gail. lib. 1. Obs. 111. in quibus in Camera semper sententiam concipi in personam domini, sive dominus in judicio præsens sit, sive non sit.

Tertiò singulare est, quòd procurator possit petere restitutionem in integrum absque speciali mandato, quando scilicet restitutio incidenter petitur, puta contra sententiam interlocutoriam idem ex communi Dd. opinione tradit hic Panor. Adeo quæ verum est, ut etiam post sententiam definitivam, antequam elapsi sint decem dies, qui concessi sunt à jure ad appellandum, eadem restitutio in integrum implorari possit, per h. text. nam & hac specie restitutio in integrum incidenter peti dicitur, cum sententia nondum transierit in rem judicatam, ac proinde necdum exspiraverit mandatum procuratoris. Unde sicut procurator post sententiâ definitivam appellare potest absq; novo mandato, c. Mandato 13 sup. De proc. & l. Invitus 17 C. eod. ita quoq; potest petere restitutionem in integrum adversus sententiam absq;

NOVO